

DISTINCTIO XXXIII,
ET NOVEM SEQUENTES

QUESTIO I.

UTRUM VOTUM CONTINENTIE, ANNEXUM ORDINIBUS SACRIS, IMPEDIAT NE ORDINATUS POSSIT HABERE SIMUL DUAS UXORES.

SIRCA distinctionem trigesimam tertiam, et quasdam alias sequentes, queritur: Utrum votum continentiae, annexum ordinibus sacris, impedit ne ordinatus possit habere simul duas uxores.

Et arguitur quod non. Quia nihil impeditur nisi a suo contrario. Sed ordo non est contrarius matrimonio; cum utrumque sit sacramentum, et duo matrimonia sint duo sacramenta. Ergo non impedit matrimonium, nec duo matrimonia simul. — Et similiter potest argui quod votum continentiae non impedit matrimonium. Quia Alexander III (a) Papa (*Qui clerici vel vorentes, etc., cap. 4*) dicit quod votum simplex non dirimit matrimonium contractum.

In oppositum arguitur. Quia habere plures uxores nunquam licuit alieni, sine dispensatione per divinam inspirationem habita, ut dicit quaedam decretalis, *De divorciis* (cap. 8). Ergo, etc.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod, licet habere plures uxores simul sit aliquo modo contra legem naturae, tamen talis pluralitas quandoque fuit licita, ex Dei dispensatione.

Primum parlem hujus ponit sanctus Thomas, trigesimatertia distinctione hujus, q. 1, art. 1, ubi sic dicit: «Quia homo inter caetera animalia rationem finis cognoscit, et proportionem operis ad finem, ideo naturalis conceptio ei indita, qua dirigitur ad operandum convenienter, lex naturalis vel ius naturale dicitur; in caeteris autem aestimatio naturalis

vocatur. Bruta enim ex vi naturae impelluntur ad agendum convenientes actiones, magis quam reguntur, quasi proprio arbitrio agentia. Lex vero naturalis nihil aliud est quam conceptio boni, naturaliter homini iudita, qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis: sive competant ei ex natura generis, ut generare, comedere, et huiusmodi; sive ex natura speciei, ut ratiocinari, et similia. Omne autem illud quod actionem inconvenientem reddit fini quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem naturae esse dicitur. Potest autem actio aliqua non esse convenientis fini vel principali, vel secundario. Et, sive sit sic, sive sic, hoc contingit duplente. Uno modo, ex aliquo quod omnino impedit fidem: ut nimia superfluitas, aut defectus comestionis, impedit salutem corporis, quasi principalem finem comestionis, et bonam habitudinem in negotiis exercendis, qui est finis secundarius. Alio modo, ex aliquo quod facit difficultatem, aut minus decentem, perventionem ad finem principalem, vel secundariorum; sicut inordinata comestio quantum ad tempus indebitum. Si ergo actio sit inconvenientis fini, quasi omnino prohibens finem principalem, directe per legem naturae prohibetur, primis preceptis legis naturae, que sunt in operabilibus sicut sunt communis animi conceptiones in speculativis. Si autem sit incompetens fini secundario quocumque modo, aut etiam principali ut faciens difficultem aut minus convenientem perventionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis preceptis legis naturae, sed secundis, que ex primis derivantur, sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis fidem habent; et sic dicta actio contra legem naturae esse dicitur. Matrimonium ergo habet pro fine principali prolixi procreationem et educationem; qui quidem finis competit homini secundum naturam sui generis; unde et aliis animalibus est communis, ut dicitur in 8. *Ethicorum* (cap. 12); et sic bonum matrimonii assignatur proles. Sed pro fine secundario, ut dicit Philosophus (ibid.), habet in hominibus solum communicationem operum quae sunt necessaria in vita; et, secundum hoc, fidem sibi invicem debent, que est unum de bonis matrimonii. Habet ultius alii finem, inquantum in fidelibus est, scilicet significationem conjunctionis Christi et Ecclesiae; et sic bonum matrimonii dicitur *sacramentum*. Unde primus finis respondet matrimonio hominis, inquantum est animal; secundus, inquantum est homo; tertius, inquantum est fidelis. Ergo pluralitas uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit primum finem; cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus secundandis, et educandis filiis ex eis natis. Sed secundum finem et si non totaliter tollit, multum tamen impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur; cum non possit unus vir sufficere ad satisfa-

(a) *Alexander III. — Clemens Pr.*

ciendum pluribus uxoribus ad votum, et quia communicatio plurium in uno officio causat litem; sicut siguli corrixantur ad invicem, et similiter plures uxores unius viri. Tertium autem finem totaliter tollit, eo quod sicut Christus est unus, ita una Ecclesia. Et ideo patet ex predictis quod pluralitas uxorum quodammodo est contra legem naturae, et quodammodo non. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro prima parte conclusionis: Illud quod non tollit nec aliquatenus impedit primum et principalem finem quem natura intendit in matrimonio, sed aliquatenus impedit fines secundario a natura intentos, est aliquando contra legem naturae, et quodammodo non. Sed pluralitas uxorum est hujusmodi. Ergo, etc.

Secundam partem conclusionis ponit ibidem, art. 2, dicens: « Pluralitas uxorum dicitur esse contra legem naturae, non quantum ad prima precepta ejus, sed quantum ad secunda, quæ quasi conclusiones a primis derivantur preceptis. Sed quia actus humanos variari oportet secundum diversas conditiones personarum et temporum et aliarum circumstantiarum, ideo conclusiones predictæ a primis preceptis legis naturae non procedunt ut semper efficaciam habentes, sed in majori parte: talis enim est tota materia moralis, ut patet per Philosophum, in libro *Ethicorum* (lib. 4, cap. 3 et 7). Et ideo ubi eorum efficacia desicit, licet ea praetermitti possunt. Sed quia non est facile determinare hujusmodi varietates, ideo illi ex cuius auctoritate lex efficaciam habet, reservatur (a). ut licentiam praebeat legem praetermittendi, in illis casibus ad quos legis efficacia non se debet extendere; et talis licentia dispensatio dicitur. Lex autem de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta; nec unquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut et alia quæ ad legem naturae qualitercumque pertinent. Et ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam (6). Quæ quidem principaliter patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata est, eo tempore quo oportebat predictum naturae preceptum praetermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Semper enim principalior finis magis conservandus est quam secundarius. Unde, cum bonum prolis sit principalis finis matrimonii, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire; ad quod removendum, preceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur, ut ex predictis patet. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro secunda parte conclusionis: Quandocumque secundaria precepta legis naturae carent utilitate et efficacia, et

eorum observatio prejudicat majori bono, licet possunt praetermitti, interveniente dispensatione legislatoris. Sed sic est de preceptis naturae prohibentibus pluralitatem uxorum. Ergo, etc.

Secunda conclusio est quod votum solemne impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum; sed votum simplex, licet impedit matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum.

Primam partem hujus conclusionis ponit sanctus Thomas, dist. 38 hujus Quarti, q. 1, art. 3, in solutione tertiae quæstiunculae, ubi sic dicit: « Omnes dicunt quod votum solemne sicut impedit matrimonium contrahendum, ita et dirimit jam contractum. Quidam autem assignant pro causa scandalum. Sed hoc nihil est: quia etiam votum simplex scandalum habet quandoque, cum sit quodammodo publicum quandoque; etiam insolubilitas matrimonii est de necessitate veritatis vite, quæ non est propter scandalum dimittenda. Et ideo alii dicunt quod hoc est propter statutum Ecclesie. Sed hoc etiam non sufficit: quia, secundum hoc, Ecclesia posset contrarium statuere; quod non videtur verum. Et ideo dicendum cum aliis, quod votum solemne ex sua natura habet quod dirimat matrimonium contractum: in quantum scilicet homo per ipsum amisit potestatem sui corporis, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens; et ideo non potest ipsum tradere in potestatem uxoris, matrimonium contrahendo. Et quia matrimonium quod sequitur tale votum, nullum est, ideo votum predictum dirimere dicitur matrimonium contractum. » — Hæc ille.

Secundam partem conclusionis ponit ibidem, in solutione secundæ quæstiunculae, dicens: « Per hoc aliqua res desinit esse in potestate alicujus, per quod transit in dominium alterius. Promissio autem alicujus rei non transfert eam in dominium illius cui promittitur. Et ideo non ex hoc quod aliquis rem aliquam promittit, desinit illa res esse in potestate sua. Cum ergo in voto simplici non sit nisi simplex promissio proprii corporis ad continentiam Deo servandam facta, post votum simplex adhuc manet homo dominus sui corporis; et ideo potest ipsum dare alteri, scilicet uxori, in qua datione matrimonii sacramentum consistit, quod indissolubile est. Et propter hoc, simplex votum, quamvis impedit matrimonium contrahendum, quia peccat matrimonium contrahens post votum simplex continentiae; tamen, quia verus contractus est, non potest per hoc matrimonium dirimi. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari ratio pro ultraquæ parte conclusionis. Pro prima, arguitur sic: Quidquid facit contractum donationis proprii corporis uxori esse nullum, dirimit matrimonium contractum post hoc. Sed votum solemne continentie hujusmodi est. Igitur, etc. — Pro secunda, arguitur sic: Quod non

(a) reservatur. — reservavit Pr.

(6) internam. — intermediam Pr.

invalidat donationem proprii corporis uxori, non dirimit matrimonium sequens. Sed votum continetiae simplex est hujusmodi. Igitur, etc.

Tertia conclusio est quod ordo sacer impedire matrimonium contrahendum, et dirimit jam contractum.

Hanc ponit sanctus Thomas, dist. 37, q. 1, art. 1, ubi sic dicit: « Ordo sacer de sui ratione habet quod matrimonium impedire debeat: quia in sacris ordinibus constituti sacra vasa et sacramenta perfruant; et ideo decens est ut munditiam corporalem per continentiam servent. Sed quod actu impedit matrimonium, ex constitutione Ecclesie habet; tamen aliter apud Latinos quam apud Graecos: quia apud Graecos impedit matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis; sed apud Latinos impedit ex vi ordinis, et ulterius ex voto continentiae, quod est ordinibus sacris connexum, quod etiamsi quis verbote nus non emittat (α), ex hoc ipso quod ordinem suscepit secundum ritum occidentalis Ecclesie, intelligitur emisisse. Et ideo apud Graecos et alios Orientales sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti usum: possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint de novo contrahere. Sed apud occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium, et matrimonii usum; nisi forte, ignorantie et contradicente uxore, vir ordinem sacrum suscepit, quia ex hoc non potest ei aliquod præjudicium generari. » — Hac ille.

Ex quibus potest formari talis ratio: Nullus vovens solemniter continentiam potest matrimonium contrahere. Sed quia ordines sacri habent annexum solemne votum continentiae, ergo tales impedit matrimonium contrahendum, et dirimunt jam contractum post ordinis susceptionem.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Aureoli. — Quantum ad secundum articulum, arguendum est contra conclusiones. Et quidem contra primam arguit Aureolus (dist. 33, q. 1, art. 1), probando quod habere plures uxores sit contra primarium jus naturæ, et quod nullo modo possit ibi cadere dispensatio.

Et arguit primo ex auctoritate Christi, Matth. 10. Cum enim quereretur ab eo de libello repudii, quo, dimissa una, alia ducebatur, dicit quod nunquam

suit licitum, sed propter duritiam cordis eorum concessum fuit populo Israel. Sed non fuisse semper illicitum, nisi fuisse contra jus naturæ. — Dices forte, quod ex quo repudiabat unam, non fuit illicitum ducere aliam. — Contra: quia statim Christus subdit (v. 9), *Et si duxerit aliam, mœchatur*. Item, Glossa super Genes. cap. 4 reprehendit Lamech, qui fuit primus habens plures uxores; et certum est quod tunc non erat aliud jus quam jus naturæ.

Secundo sic. In contractu matrimonii est æqualitas inter virum et uxorem; et hoc, ut videtur, ex dictamine rationis naturalis. Sed contra jus naturæ est quod una uxor sit plurimum virorum. Est enim contra finem matrimonii, scilicet contra bonum proli: nam tunc proles non posset congrue educari; confunderetur enim proles; nec esset qui ministraret et nutrimentum et mores juxta exigentiam, propter distractionem alterius parentum, quem oportet pluribus debitum exhibere.

Tertio sic. In contractu matrimonii datur simpliciter potestas corporis, non pro certa portione temporis. Hoc premisso, arguitur sic: Illud est illicitum simpliciter, quod est contra naturam justi contractus. Sed contra naturam contractus matrimonialis est habere plures uxores. Ergo, etc. Minor probatur. Quia contra naturam contractus matrimonii est quod non totum corpus unius conjugum, et secundum omne tempus, sit in potestate alterius. Sed, si vir habeat plures uxores, non totum corpus viri semper erit in potestate uxoris. Probatur. Quia quilibet haberet jus in corpus viri secundum totum tempus, aut secundum partem tantum. Si secundo (α) modo, habetur propositum. Si primo (β) modo, sequitur quod vir obligatur ad nulli reddendum debitum; ergo obligatur ad peccatum. Probatur antecedens. Quia omnibus simul reddere debitum, est impossibile: aut ergo reddet uni, et non alteri, et tunc erit injustitia; aut nulli, et habetur propositum; aut alicui nunc, et alteri tunc, et non apparet cur prius isti quam illi.

Quarto. Contractus matrimonialis est contractus intensissima amicitiae. Sed, ex 9. *Ethicorum* (cap. 10), amicitia intensissima non est possibilis ad plures. Cujus ratio est: quia plures possunt esse inter se discordes; et, ex consequenti, inducerent discordiam in tertio cui (γ) quilibet eorum esset amicus in summo. Cum ergo illud sit tollendum quod impedit talem amicitiam, ergo talis pluralitas est tollenda.

Quinto. Quia simile est de naturali instinctu in aliis animalibus, et naturali judicio in hominibus. Ratio similitudinis: quia utrumque sequitur debitum conditionis nature. Sed instinctus naturæ, in

(α) secundo. — primo Pr.

(β) primo. — secundo Pr.

(γ) cui. — cum Pr.

aliis animalibus, facit quod tempore associationis, tantum sit una unius. Ergo ita erit multo fortius in homine. » — Haec ille.

II. Argumenta Durandi et aliorum. — Contra eamdem conclusionem arguit per oppositum Durandus (dist. 33, q. 1), dicens quod, quidquid sit de conclusione, tamen ratio ibidem adducta patitur calumniam. Quod enim primo dicitur, quod pluralitas uxorum impedit finem secundarium matrimonii, qui est pax in familia, non valet.

Primo (α). Quia hunc finem non impedit per se pluralitas uxorum, sed malitia vel profervia: una enim exsistente litigiosa uxore, pax impeditur; pluribus autem exsistentibus pacificis, non impeditur. Per accidens ergo impeditur finis secundarius matrimonii, una vel pluribus exsistentibus uxoribus, et non per se; licet faciliter possit impediri ex pluritate uxorum. Que autem per accidens contingunt, sub arte non cadunt. Et ideo, sicut licitum est contrahere cum unica exsistente litigiosa, non obstante quod finis secundarius matrimonii aequaliter impeditur; sic, ut videtur, licitum est, quantum est de jure naturali, contrahere cum pluribus, licet ex hoc sequatur turbatio pacis quandoque.

Secundo. Quia communicatio operum quae sunt necessaria in vita humana, non est finis secundarius matrimonii per se, sed solum per accidens. Quia, praeter (ε) procreationem prolis et ejus educationem, omnia alia opera domus possunt melius fieri per virum quam per mulierem: sicut dicit Augustinus (*de Genesi ad litteram*, lib. 9, cap. 3 et 5), tractans illud verbum quod habetur, *Genes.* 2 (v. 18), de formatione mulieris, quod dixit Dominus, *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*; dicens quod illud adiutorium fuit propter procreationem prolis et ejus educationem, ad quae necessaria est mulier; quia omnia alia possunt melius fieri per virum quam per mulierem. Ergo, etc.

Tertio. Quia quando finis secundarius præjudicat principali, negligendus est finis secundarius, propter principalem. Sed principalis finis matrimonii est generatio et educatio prolis, cui quandoque potest præjudicare ille secundarius, qui est pacifica habitatio cum unica uxore, quia (γ) forsitan ipsa est sterilis. Ergo in hoc casu licitum fuit prætermittere secundarium finem, propter primarium; quod fit accipiendo cum prima uxore sterili aliam fœcundam (δ).

Quarto. Quia cum dicitur secundo, quod ex divina dispensatione licuit habere plures uxores, propter multiplicationem fidelium, — non videtur valere.

Quia dispensatio, quæ facta dicitur fuisse primo Abrahæ, in cuius domo primo refulsit fides: aut fuit facta pro eo, aut pro omnibus posteris. Non pro eo tantum; quia alii non fuissent excusati, accipiendo plures uxores. Si pro omnibus: aut eis innotuit, aut non. Si non innotuit dispensatio, non fuerunt excusati a transgressione. Si innotuit, cum non innotuerit eis verbo, innotuit exemplo solum. Sed hoc modo æque innotuit infidelibus sicut fidelibus. Ergo æque licuit infidelibus habere plures uxores sicut fidelibus; quod est contra illud quod dicunt, quod causa dispensandi fuit multiplicatio fidelium ad cultum Dei. Et, sine dubio, satis durum est quod omnes infideles peccaverint ducento plures uxores; præcipue cum de Agar, quam accepit Abraham post Sarah, natus sit Ismael, cujus successores omnes fuerunt infideles, et habuerunt plures uxores. Irrationabile etiam videtur quod apud omnes infideles ratio naturalis fuerit adeo obumbrata, quod judicaverint pluralitatem uxorum licitam, si ipsa esset contra ius naturale, nec esset licita nisi ex dispensatione divina, si dispensatio talis dicatur revelatio specialiter facta, si alicui facta fuerit.

Quinto. Quia alii dicunt quod primi qui habuerunt plures uxores, non potuerunt licite contrahere cum secunda, vivente prima, cum qua simpliciter primo contraxerant, nisi de consensu ejus. Cujus ratio est: quia, duobus contrahentibus inter se simpliciter, quilibet transfert totam potestatem corporis sui in alterum; et ideo sine consensu ejus non potest obligare alteri corpus suum. Potuit tamen de consensu ejus, ex causa, si scilicet uxor sit sterilis, vel propter paucitatem humani generis. Et sic fuit in Abraham, ut habetur, *Genes.* 16 (v. 2); et recitat, caus. (α) 32, q. 4, cap. 3. *Dixit Sara ad Abram:* Ecce conclusit me Dominus, ne parem; ingredere ad ancillam meam, si saltem ex ea suscipiam filios. Ecce quod de voluntate uxoris sterilis, propter sterilitatem ejus, accepit secundam. Hoc modo, et hac de causa, habuit Jacob plures uxores. Quia de voluntate Rachelis creditur quod Lia supposuerit seei: voluit enim Rachel parcere verecundiæ sororis antiquioris, cum esset consuetudo apud ipsos ut antiquiores primo traderentur ad nuptias. De voluntate etiam duarum earum ingressus est ad ancillas earum: ad ancillam quidem Rachel, propter ejus sterilitatem, ut habetur, *Genes.* 30; ad ancillam vero Lia, postquam Lia credidit se desiisse parere. Processu vero temporis, mos inolevit habere plures uxores, de voluntate prima tacita vel expressa, vel consuetudine super hoc obtenta. Nec in hoc videntur peccasse. Unde Augustinus (*contra Faustum*, lib. 22, cap. 47) dicit (et habetur in littera, dist. 33; et recitat, caus. 32, q. 4, cap. *Objiciuntur*)

(α) *Primo.* — Om. Pr.

(δ) *præter.* — *propter* Pr.

(γ) *quia.* — *vel* Pr.

(β) *fœcundam.* — *secundam* Pr.

(α) *recitat, caus.* — Om. Pr.

tur) (x), quod quando mos erat, peccatum non erat; et ideo antiquis justis non fuit peccatum quod pluribus feminis utebantur. Neque contra naturam hoc faciebant, cum non lasciviandi, sed gignendi causa, hoc facerent; nec contra morem, quia eo tempore ea sivebant; nec contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum. — Quod autem dicit Innocentius (y), quod nunquam licuit habere plures uxores simul, nisi cui fuit divina revelatione concessum, exponendum est non de revelatione quæ est specialis inspiratio, sed de interiori dictamine, quo sciverunt antiqui patres quod pro multiplicatione generis humani licuit habere plures uxores, de voluntate principalis, vel consuetudine super hoc obtenta. Sicut enim lex naturalis non est scripta in codice, sed impressa in mente; sic dictamen rationis, quo scitur in quo casu lex non astringit, cum sit quædam legis interpretatio, potest dici dispensatio; et quia est menti a Deo impressa, ideo vocatur divina dispensatio. Et sic exponit ipsemet Innocentius dictum suum, scilicet quid intelligat per revelationem, dicens quod *qua*~~que~~ *mos interdum etiam fas censemur*: ut *fas* referatur ad causam propter quam licuit; mos vero ad consuetudinem obtentam, supposita causa.

Sexto (z). Confirmatur prædicta opinio ab aliis. Quia licet ex causa renuntiare juri suo, non minus in parte quam in toto. Sed per hoc quod vir emittit votum castitatis, in totum prejudicatur alteri; sed per hoc quod contrahit cum secunda, solum in parte. Ergo, si de licentia ejus et consensu licet emittere votum (sicut pariconsenso Maria et Joseph (d) emiserunt, propter bonum castitatis), pari ratione, propter sterilitatem uxoris, vel multiplicationem humani generis, de licentia primæ uxoris, licuit accipere secundam.

Septimo ad idem. Quia, si ita (e) est contra legem naturæ superinducere secundam sicut (f) et ejicere castam, sicut Abraham noluit (g) ejicere Agar, suadente Sara, quousque Deus revelans per angelum dispensavit; et illud scriptum est, *Genes. 21*; sic, suadente Sara (h), non (i) superinduxisset Agar nisi angelo revelante; et illud esset (x) scriptum. Nihil autem plus scriptum est de sanctis patribus habentibus plures uxores, nisi quod, consentientibus pri-

(x) dist. 33; et recitat, caus. 32, q. 4, cap. Objiciuntur. — et recitat, 32, q. 4, objiciuntur Pr.

(y) Innocentius III, cap. 8, *De divorciis*.

(z) Hoc argumentum et tria sequentia Auctor refert prout reperiuntur apud Petrum de Palude, dist. 33, q. 1.

(d) *Maria et Joseph*. — *matrimonia Pr.*

(e) si ita. — *sicut Pr.*

(f) *sicut*. — *sic Pr.*

(g) *sicut Abraham noluit*. — *sed Abraham voluit Pr.*

(h) a verbo quousque usque ad Sara, om. Pr.

(i) non. — *nec Pr.*

(x) *esset*. — *est Pr.*

mis, propter sterilitatem alias ducebant: sicut Abraham rogatu Saræ duxit Agar; et sicut Jacob ad rogatum primarum illarum ancillas duxit; sic et de aliis. Non est autem scriptum: *Dixit Dominus ad Abraham, audi vocem Saræ, ingrediendo ad Agar*. Ergo, etc.

Octavo. Quia quod nulla lege est prohibitum, potest esse consuetudine licitum. Istud autem est hujusmodi: *Et tunc mos erat, crimen non erat*, ut Augustinus (*Contra Faustum*, lib. 22, cap. 47) dicit.

Nono. Arguitur ab aliis, quod ex Papæ dispensatione licet alieui habere duas uxores simul. Quia non (x) esset omnino contra rationem, si quis diceret quod, sicut Papa dispensat in solemani voto continentiae, propter bonum commune (sicut dispensatum fuit cum quoddam monacho de genere regis Aragonum, ut contraheret, propter defectum haereditatis); sic dispensare potest, ut princeps habens uxorem sterilem, de qua non posset suscipere prolem, ea vivente, et consentiente, acciperet aliam. Nec minus est contra jus naturale et divinum non solvere votum, quam pluralitas uxorum: quia, etsi utrumque cadat sub præcepto, non tamen indispensabiliter.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Scoti. — Contra secundam conclusionem arguit Scotus (dist. 38, q. 1), probando quod ratio non valeat assignata eur votum solemne impedit matrimonium plus quam votum simplex, quia scilicet per votum solemne dat aliquis jus in se, etc. Quia, licet illa ratio sit probabilis, tamen habet instantiam. Quia votens in voto privato dat corpus suum Deo, quantum ad actum voti. Ergo non posset postea dare corpus suum conjugi ad actum contrarium: non enim minus transfert a se illud quod dát immediate Deo, quam si mediante homine vicario.

Si dicitur quod Deus noluit uti potestate corporis immediate sibi dati, ut simpliciter datio sequens ad conjugium nulla esset, voluit autem sic esse de datione sibi facta mediante homine; — sed hoc non valet: quia Scriptura non exprimit istam voluntatem Dei, nec illam voluntatem ejus.

Nec valet si dicatur quod votens solemniter mittit in possessionem illum cui votet, non autem votens private, sed quasi promittit. — Sed contra. Quia omnia intrinseca voto, ut respicit actum voluntatis, per quem obligat se votando, et transfert dominium suum in alterum (quia per solam voluntatem est dominus et transfert dominium), omnia, inquam (y), illa sunt aequalia hinc inde. Ergo non magis est

(x) non. — *hoc Pr.*

(y) inquam. — *inquantum Pr.*

datio hic quam ibi, vel sola promissio hic quam ibi.

II. Argumenta Aureoli. — Contra eamdem conclusionem arguit Aureolus (dist. 38, q. 1, art. 1), impugnando quoddam dictum ibidem contentum in virtute, vel saltem apparenter, scilicet quod Papa, vel Ecclesia, non potest votum solemne continentiae relaxare. Et arguit sic

Primo (α). Quia votum non est (ε) actus latræ nisi sit rationabiliter et licite factum. Non potest ergo interpretatio voti vergere in præjudicium communitatis, vel salutis voventis. Et si votum propter talem rationem non teneat, ex eadem causa potest volum commutari, sicut votum peregrinationis in votum religionis. Sed hoc non debet fieri propria auctoritate; sed ad illum pertinet commutatio, ad quem pertinet interpretari quid sit majus vel minus bonum; cujusmodi est Papa, vel Prelatus. Et ratio est: quia in voto est obligatio et contractus inter Deum et homines; commutatio ergo debet fieri de consensu cuiuslibet partis; locum autem partis Dei tenet Dei Vicarius, Papa, et Prelatus in ordine ad suum subditum.

Secundo. Quia fréquenter factum est quod talis dispensatio est propter majus bonum. Quia majus bonum est pax Christianitatis, vel promotio fidei, et similia, quæ consequuntur quandoque ex istis dispensationibus, quam continentia cujuscumque. Nam continentia non habet bonitatem ex se, sed ex circumstantia; quia ex continentia intellectus vigoratur ad contemplationem veritatis et divinorum. Item, quia continentia est bonum privatum, quod non est tantum bonum sicut bonum commune. — Hæc ille.

III. Argumenta Durandi. — Primo ad idem arguit Durandus (dist. 38, q. 2). Quia huic dispensationi non obstat nisi excellentia materie, si non possit fieri recompensatio; vel solemnitas adhibita. Sed neutrum istorum potest obstat. Ergo, etc. Minor probatur quoad utramque partem. Et quidem, quod primum non obstat, ostenditur. Fuerunt enim quidam dicentes quod in voto continentiae non potest dispensari propter excellentiam materie: quia omnis dispensatio in voto requirit recompensationem; sed continentia non potest per bonum aliquod compensari, secundum illud quod habetur, *Ecli. 26* (v. 20), *Non est digna ponderatio animæ continentis*, et quia per eam triumphat homo de hoste domestico; et perfectius conformatur homo Christo quantum ad puritatem mentis et corporis; ergo in voto continentiae non potest dispensari, propter defectum compensationis. — Sed istud non

valet: quia virginitas, vel continentia, non est aliquid bonum secundum se, sed solum medicina, quatenus (α) impedientia liberam contemplationem divinorum removet; ad hoc enim ordinatur, ut patet per Apostolum, *1. Corin. 7* (v. 34). Ex hoc sic arguitur: Finis est melior his quæ sunt ad finem. Sed contemplatio est finis virginitatis, vel continentiae. Ergo est aliquid melius utroque. Cum ergo possit dispensari in voto contemplationis, vel orationis, non obstante ejus dignitate, fortiori ratione potest dispensari in voto continentiae. Nec obstat quod dicitur, quod *non est digna*, etc. Quia hoc est verum de bonis exterioribus vel corporalibus pertinentibus ad privatam personam; sed bonum spirituale, vel bonum commune gentis vel regni, præponderat bono continentiae. Magis etiam conformatur Deo per bonum contemplationis, quod pertinet ad animam, quam per bonum continentiae, quod pertinet ad corpus. Patet ergo prima pars minoris, quod votum continentiae non est indispensabile (ε) ratione materiae.

Quod autem non sit indispensabile ratione solemnitatis (quod fuit secunda pars minoris), probatur. Ubi sciendum quod quidam dicunt quod tale votum est indispensabile ratione solemnitatis: quia, sicut habetur, *Levitici* ultimo (v. 28), quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alias usus commutari; sed per solemne votum continentiae, saltem in religionis professione, et sacri ordinis susceptione, sanctificatur quis Domino; et semel sanctificatus semper manet sanctificatus; ergo non potest deputari ad alias usus, et maxime contrarios, ut est usus matrimonii. Major patet ex auctoritate allegata. Minorem declarant quantum ad utramque sui partem. Quia solemnitas adhibetur unicuique rei secundum illius rei conditionem: sicut solemnitas militiae consistit in apparatu equorum et armorum, et cursu militum, quia hoc militiae congruit; et solemnitas nuptiarum consistit in ornato sponsi et sponsæ, et conventu amicorum, quæ nuptiis congruunt (γ); et similiter, cum votum sit promissio Deo facta, solemnitas voti accipitur secundum illud spirituale quod ad Deum pertinet, scilicet secundum aliquam specialem benedictionem, vel consecrationem, quorum utrumque fit in professione certæ regulæ, et sacri ordinis susceptione. Sic autem consecratus nunquam consecrationem amittit, quamdiu manet: quia in rebus inanimatis idem patet; calix enim semel consecratus, quamdiu manet integer, semper remanet consecratus; nec est in potestate prelati cujuscumque, quod semel consecratum desinat esse consecratum. Et sic patet minor pro utraque parte. Sequitur ergo conclusio, scilicet quod consecratus

(α) *Primo.* — Om. Pr.
(β) *est.* — esset Pr.

(γ) *quatenus.* — contra Pr.
(δ) *indispensabile.* — dispensabile Pr.
(γ) *congruunt.* — congruant Pr.

Domino per soleme vatum continentiae non potest per quemcumque prælatum ad usus matrimonii deputari. Hoc tamen interest, ut isti dicunt, inter solemnizationem voti per susceptionem sacri ordinis, et per professionem religionis: quia solemnitati ordinis non est annexum vatum continentiae essentialiter, sed solum ex statuto Ecclesie, propter (a) quod, vatum continentiae se habet ad eam accidentaliter, et econtra; et ideo in tali voto potest dispensari per Ecclesiam, non obstante consecratione, cui non conjungitur vatum per se; sed vatum continentiae essestiale est statui religionis, per quem homo totaliter renuntiat saeculo, Dei servitio mancipatus, quod non potest stare simul cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandæ uxoris, et prolis, et familiæ, et rerum que ad hoc requiruntur; et ideo consecratio que sit in professione religionis, habet essentialiter annexum vatum continentiae; propter quod, sicut non potest fieri quod semel consecratus Deo per professionem religionis non maneat consecratus, sic non potest fieri quod, post vatum continentiae tali benedictione consecratum, professus possit transferri ad contrarium actum matrimonii. — Sed, quidquid sit de ista conclusione, ratio tamen ista non cogit. Quod enim dicitur in majori, quod illud quod semel est Domino consecratum, non potest in alios usus commutari, verum est passim et indifferenter. Potest tamen in casu, pro magna necessitate; unde David, et qui cum eo erant, comederunt panes Domino consecratos, nec peccaverunt, quia necessitas excusat eos, ut habetur, 1. *Regum* 21; et hodie, si quis laicus periculose sitiret, nec haberet cum quo biberet nisi cum calice consecrato, non peccaret si in eo biberet. Et si in talibus excusat necessitas personalis, fortiori ratione utilitas communis. Et similiter videretur dicendum in proposito: quod consecratus Domino per vatum continentiae solemnizatum posset dispensative tradi ad matrimonium, propter bonum commune. — Quod etiam dicitur in minori, quod per soleme vatum continentiae consecratur quis Domino, — posset dici quod illa consecratio que sit in sacri ordinis susceptione et professione religionis, omnino per accidens se habet ad vatum continentiae. Et hoc ipsi concedunt de consecratione que est in susceptione sacri ordinis. Idem etiam videtur de benedictione que est in professione religionis: quia ad professionem nulla benedictio ex necessitate requiritur, sed solum emissio voti in manu prælati; et quia (b), si nulla adderetur benedictio, vera esset professio, et aequa obligaret apud Deum et homines sicut habita benedictione, quemadmodum dicitur de eo qui manet in religione anno probationis transacto, qui reputatur vere professus, absque benedictione

aliqua. Quando etiam benedictio additur, illa magis respicit bonum vel vatum obedientiae quam continentiae: quia est benedictio habitus, qui est signum quod deferentes similem habitum vivunt in simili obedientia. Propter quod, videtur quod, sicut potest dispensari in voto continentiae solemnizato per susceptionem sacri ordinis, ita quando solemnizatur per professionem religionis.

Secundo ad idem. Quod enim solemnizatio voti non obstat quin tale sit dispensabile, patet, considerans quid solemnitas addat ad vatum. Addit enim solum quandam perfectionem accidentalem. Sic enim in sacramentis et ceteris rebus differunt ea que sunt de necessitate ab his que sunt de solemnitate, ita in votis. Utrobius enim res est perfecta essentialiter, exclusa solemnitate: ita quod solemnitas non addit nisi quedam decorum accidentalem. Cum ergo vatum sit essentialiter quedam promissio, ac per hoc quedam obligatio, quidquid obligationis est in voto, totum est ibi, exclusa solemnitate. Est autem in voto duplex obligatio. Una solius promissionis, post quam res non debet alteri tradi; et haec sola est in voto simplici. Alia est promissionis et traditionis rei promissa, post quam res non potest alteri tradi, cum primus jam sit adeptus dominium rei; et haec est in voto perfecto. Essentialiter enim perficitur vatum, cum sit quedam promissio, in hoc quod res promissa traditur. Et ex hoc habet vatum quod dirimat matrimonium jam contractum, etiamsi nulla solemnitas adderetur; que, quando additur, nihil obligationis addit, sed solum quedam decorum. Ex quo sic potest argui: Illud sine quo vatum est essentialiter perfectum, nec addit voto aliquam obligationem, non impedit quin in voto possit fieri dispensatio. Sed solemnitas voti est hujusmodi, ut declaratum est. Ergo non impedit quin in voto continentiae, quantumcumque solemnizato, possit dispensari.

Secundo ad principale arguitur. Quia, secundum Bernardum, quod pro charitate institutum est, contra charitatem militare non debet. Sed, si non posset dispensari in solemnni voto continentiae, tunc aliquando militaret contra charitatem, sicut quando pro dispensatione pax unius regni posset acquiri. Ergo in tali casu posset dispensari.

IV. Argumenta Petri de Palude. — Contra eamdem arguit Petrus de Palude, probando primo (a) quod Papa possit dispensare in solemnni voto religionis. Quia qua ratione obligatio ad actum matrimoniale non est essentialis matrimonio, eadem ratione obligari ad castitatem non est essentialis ad religionem. Sed, sicut in matrimonio est ipse contractus transiens, ex quo causatur vinculum, quod est essestiale matrimonio, ad quod consequitur

(a) propter. — Om. Pr.
(b) quia. — que Pr.

(a) primo. — Om. Pr.

obligatio ad reddendum debitum, et jus petendi, quasi actio; sic; in religione, est ipsa professio quasi contractus facti transiens, ex qua innascitur vinculum ad ipsam religionem, per quod, quamdiu vivit, dicitur religiousus talis religionis, sicut conjugi talis conjugis: nisi quod vinculum matrimoniale est quædam vera res absoluta, vel respectiva, sicut character et ornatus in aliis sacramentis; vinculum autem religionis non est res, sed relatio rationis, sicut esse consecratum in calice vel altari. Item, ipsam essentiam religionis consequitur obligatio ad actus religionis etiam positivos, ut est obedire, et privativos, ut est non habere proprium, et non uti conjugio; sicut obligatio ad actum conjugii sequitur vinculum conjugii: nisi quod in matrimonio obligatio est firmata de jure divino, non solum secundum se, sed secundum quod est accessoria sacramenti a Deo instituti; sed obligatio ad ea quæ sunt religionis, est quidem de jure divino secundum se (quia dicit, Psalm. 75, v. 12 (a): *Vovete et reddite Domino Deo vestro*), et non ratione ejus quod sequitur, quod non est sacramentum, sed quædam consecratio ab homine adinventa; sicut non uti calice ad usus profanos, secundum se, supposita consecratione, est de jure divino (quia prohibet sancta profanari), sed non ratione consecrationis, quæ est per hominem. Ita (6), sicut Papa potest dispensare ut calix vendatur, etiam non conslatus, sic et quod monachus, manens monachus, uxoretur: quia supra votum simplex non fit per professionem nisi quod est positivum; sed in voto simplici potest Papa dispensare; ergo et in isto ratione voti; sed obligationem, prout est ex sacramento Ecclesie, potest ipse remittere; ergo et totalem.

Secundo, quod Papa possit dispensare in voto continentiae solemnizato per professionem, sic quod matrimonium postea contrâctum teneat, arguit (dist. 38, q. 4). Quia Papa statuit illud quod ipse, cum vult, destituit. Unde, sicut potest facere quod matrimonium teneat in gradu ab Ecclesia prohibito, ita et quod teneat post professionem, cuius solemnitas est per Ecclesiam instituta, quæ facit tales personas inhabiles. Non enim substantia voti facit personam illegitimam, quæ est a jure naturali vel divino; sed solemnitas, quæ est per Ecclesiam. Et potest esse sufficiens causa dispensandi: ut si (7) sarracenus rex cum tota terra promittat conversionem, si sanctimonialis sibi detur, cuius amore captus est (sicut Jacob (*Genes. 34*) consensit dare Dinam filio regis Sichem alienigenæ, propter circumcisionem); aut si regina concupiscens monachum similiter (sic enim Moyses (*Exod. 2*) duxit uxorem æthiopissam alienigenam). Et quod hoc

possit licere, patet: quia, licet Papa non possit facere quod professus non fuerit professus, potest tamen facere quod non sit obligatus religioni, nec ad vota religionis; quia in omni obligatione intelligitur auctoritas Papæ excepta; sicut non potest facere quod calix non fuerit consecratus, sed bene potest ipsum deordinare ab hoc quod per consecrationem erat dedicatus; ut si prohibeat quod cum calice sancti Dionysii non celebretur, in memoriam et reverentiam illius. Unde non erit monachus obligatus ad castitatem, si Papa irritat obligationem, tanquam Ecclesie contrarium, et majoris boni impedimentum; et per consequens poterit contrahere; et sic de aliis votis (sicut fecit regi Aragonum prius monacho, quem, propter defectum hæresis, compulit exire monasterium, et ad matrimonium contrahendum; qui uxoratus, fuit liberatus a voto castitatis; unde nec post mortem uxoris tenebatur continere, et paupertatem habere; unde filios hæredes habuit; nec per consequens obedire, quia non potest tolli unum de essentialibus, quin tollantur alia, secundum quosdam; unde quod ipse, uxore imprægnata, rediit ad monasterium, fuit perfectio nis). Et, secundum hoc, potest dici ad Decretalem (*de Statu monachorum*, etc., cap. 6), quod verum est quod, quamdiu obligatus est regulæ, non potest sibi dari licentia; quia castitas est sibi annexa. Unde, cum monachus sit Episcopus, non habet proprium; nec potest testari, nisi de privilegio speciali. Nec est liberatus ab obedientia; unde, si, resignans episcopatu, redeat ad claustrum, tenetur obedire, sine nova professione; sicut patet in Raymundo (a), qui, postquam resignavit, invitus factus est Magister ordinis. Per hoc etiam patet quod Papa potest de regularibus facere sœculares.

Tertio probat quod Papa potest simpliciter facere de monacho non monachum. Quia esse monachum essentialiter est esse obligatum ad tria vota, per talem modum profitandi. Licet autem Papa non possit facere quod iste non fuerit sic obligatus, quia nec Deus posset; potest tamen facere quod qui sic fuit obligatus, non plus sit obligatus. Quia: aut hoc prohibet votum, vel jus divinum; aut statutum humanum. Non primum; quia in voto, ut votum est, Papa potest dispensare. Nec etiam statutum humanum; quia omne statutum juris positivi amovere potest. Sicut ergo Papa potest facere quod religiousus non sit obligatus ad silentium vel ad abstinentiam,

(a) Petrus de Palude videtur opinari S. Raymundum de Pennaforte, O. P., Episcopum fuisse, et, post renuntiationem, ad claustrum rediisse. Revera nunquam fuit Episcopus S. Raymundus; sed oblatum sibi a Gregorio IX episcopalem dignitatem, nullatenus acceptare voluit. Anno 1238, Magister Ordinis electus est; sed post biennium magisterio cedens, ad conventum Barchinonensem rediit, ubi piissime obdormivit in Domino, anno ab Incarnatione Verbi 1275. Cfr. *Raymundiana*, fasc. 1.

(a) *Psalm. 75, v. 12.* — Om. Pr.

(b) *quod.* — Ad. Pr.

(c) *sit.* — Om. Pr.

ita potest facere quod non sit obligatus ad (α) pauperatem aut castitatem vel obedientiam: quia, licet ista vota dicantur substantialia religionis plus quam alia (ex hoc quod sine istis non est religio, quae posset esse sine aliis), nihilominus tamen, quando in regula et statutis continentur alia sicut ista, aequae sunt essentialia religioni illa sicut ista, (alias una religio non differret essentialiter ab alia, cum omnis religio contineat ista tria; et multæ aequaliter); qua ergo ratione Papa potest dispensare in illis, ita et in istis. Istis autem tribus amotis, non stat religio. Ergo Papa potest facere de monacho non monachum.

Si dicatur quod ratio non valet, quia aliquis praefatus dispensat in silentio, qui non dispensat in castitate; — dicendum quod hoc non valet. Quia illa dispensatio est secundum regulam sibi commissa (6), et non ista; Papa vero dispensat non quia committitur sibi in regula, sed jure suo, tanquam ille in cuius prejudicium nihil potuit promitti; et qua ratione Papa potest dispensare in omnibus essentialibus ejusdem, fortiori ratione in uno vel duobus. Sed verum est quod tunc non manet monachus, si aut ab omnibus vel aliquibus absolvatur; quia tria illa sunt de essentia monachatus.

Quarto arguit. Quia rationes pro parte opposita, et instantie contra predicta, non valent. Quod enim in voto continentalē solemnizato per professiōnem religionis Papa non possit dispensare, arguunt aliqui quadrupliciter. *Primo.* Quia abdicatio proprietatis et custodia castitatis adeo sunt annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex valeat licentiam indulgere. Extra, *De statu monachorum*, etc., cap. (7). *Cum ad monasterium*, in fine. — *Secundo.* Quia consecrata perpetuo durant consecrata, quamdiu et illæ res. — *Tertio.* Quia Papa non potest dispensare in matrimonio non consummato. Sed professio solvit matrimonium non consummatum; et sic est fortius vinculum, et per consequens minus dispensabile. *Quarto.* Quia, si Papa posset in solemnī voto continentalē dispensare, tunc iste cum quo dispensaret, posset licite ad sacerdolum reverti, et contrahere matrimonium. Sed ponamus quod intrasset religionem post matrimonium initiatum et non consummatum, et, eo professo, uxor ejus contraxisset cum alio, tunc sequeretur quod aliquis, vivente uxore legitima, posset cum alia contrahere. Hoc autem non videtur. Quare, etc.

Sed iste instantie non valent. Non quidem *prima*. Quia dicitur quod Papa non posset dispensare, sed irritare; vel non potest dispensare quamdiu ille manet monachus, quia essentialiter est hoc illi annexum; sed Papa potest facere de monacho non

monachum. — Similiter nec *secunda* valet. Quia dicitur quod solemnitas voti, prout dirimit matrimonium post contractum, quoad istum effectum est per Ecclesiam, que statuit tales personas inhabiles. Et sic debet intelligi illud, *De voto*, cap. 1, lib. 6: alias falsum esset, si intelligeretur quod essentia sua esset per Ecclesiam; cum sacer ordo, qui est verum sacramentum, non sit per Ecclesiam; sed quod irritet matrimonium, est annexum utriusque ex statuto Ecclesie, et non de jure naturali, quo solum pater et mater sunt inhabiles, nec de lege divina. Licet autem non possit fieri quin consecratum fuerit consecratum, potest tamen fieri quod ex consecratione non consequatur illud quod ex solo statuto Ecclesie ipsum consequitur, cuiusmodi est esse inhabile ad matrimonium. — Ulterius *tertia instantia* non valet. Quia dicitur quod professio solvit vinculum matrimonii non consummati, non ex statuto Ecclesie, sed ex hoc quod est mors civilis. Unde profiteri vitam eremiticam solvit matrimonium, sicut profiteri vitam cœnobiticam. Potest autem Papa dispensare in morte civili, quia potest eremitan cogere ad episcopatum redire. Ideo, etc. Item, quia in morte civili non est aliquod reale amovendum, sicut est in matrimonio; ideo ex statuto Dei est quod mors civilis, quæ est dispensabilis per hominem, tollat matrimonium indispensabile (α) per hominem. — Denique *quarta* non valet. Quia dicitur quod, sicut non est inconveniens, post matrimonium consummatum, alterum mori, et sic matrimonium solvi, et nihilominus, si mortuus suscitaretur, posset contrahere cum alia, prima vivente; et sic non est inconveniens quod, post matrimonium initiatum, per ingressum religionis et per mortem spiritualem solutum, si religiosus per dispensationem suscitetur ad vitam civilem, quod contrahat cum alia, prima vivente; nec propter hoc habet plures uxores, sed unam tantum, quia cum prima fuit solutum matrimonium. — Hec Petrus.

V. Argumenta Godofridi. — Ad idem arguit Godofridus, undecimo *Quodlibeto*, q. 17 (6), dicens quod ad reformationem pacis, ubi imminaret periculum, vel perturbatio Ecclesiae, vel in aliquo tali casu, potest dispensari in tali voto. Quia, si non posset: aut hoc est quia non potest recompensari per aequum bonum, vel melius; aut propter votum; aut propter solemnitatem voti. Sed nullum istorum impedit.

Primum non. Quia virginitas, vel continentalia monachalis, non est de essentia virtutis continentalæ, sed est quidam gradus accidentalis superadditus; sicut abstinere a carnibus non est de essentia ejus

(α) a verbo *silentium usque ad obligatus ad*, om. Pr.

(6) *commissa*, — *commissam* Pr.

(7) *etc.*, cap. — Om. Pr.

(α) *indispensabile*; — *dispensabile* Pr.

(6) In codice Godofridi qui servatur in Bibliotheca Vaticana (lat. 1031), hæc reperiuntur, *Quodlibeto* 4, q. 17.

in quo principaliter consistit virtus abstinentiae, sed est quoddam accidentale additum; propter quod castitas Johannis non praefertur matrimonio Abrahæ. Vitare autem periculum discordie ex qua posset conturbari pax Ecclesiæ, et reformare pacem, in tali casu est satis majus bonum quam illud accidentale superadditum super bonum continentiae conjugalis. Bonum enim commune melius est et divinus quam bonum singularis persone, adeo quod oportet (a) actus majoris perfectionis de se intermittere, scilicet actus vitae contemplativæ, ut exercantur actus minus perfecti, scilicet actus vitae activæ, propter bonum commune. Nec est contra hoc quod dicitur, *Ecclesiastici* 26 (v. 20), *Non est digna ponderatio continentis animæ*: tum quia ibi non accipitur continentia pro speciali virtute, sed pro omni; tum quia matrimonium non tollit bonum continentiae simpliciter, sed tantum quantum ad illum gradum accidentalem.

Secundum etiam non impedit, scilicet obligatio voti. Quia votum fatuum non obligat. Sed, si aliquis sic voveret servare aliquid, quod, si totus mundus periret, non dimitteret, fatum esset. Ergo non obligaret tale votum. Sufficit enim quod propter proprium commodum, vel propria sponte non intendat quod vovit mutare. Ille etiam cuius est discernere in quo casu expedit servare votum, potest in dispensatione voti, *Extra, De jurejurando*, cap. (6) *Venientes*.

Tertium etiam non impedit, scilicet solemnizatio. *Primo*. Quia omne illud quod ex statuto Ecclesiæ habet vigorem, per Ecclesiam potest mutari, et in eo Papa potest dispensare. Sed omnes solemnizaciones et omnes religiones superadditæ religioni christianaæ habent vigorem ex confirmatione Ecclesiæ. Ergo etc. Sicut enim continentia annexa ordini sacro est ex statuto Ecclesiæ, ita etiam dicta solemnizatio; propter quod ita potest dispensari in uno, sicut in alio. — *Secundo*. Quia nulla sanctificatio cuiuslibet religionis ab homine confictæ debet prejudicare religioni christianaæ, in qua imprimatur aliquid indeleibile in anima. Sed, si talis sanctificatio impediret matrimonium per quod tolleretur perturbatio Ecclesiæ et religionis christianaæ, tunc præjudicaret religioni christianaæ. Ergo, etc. — *Tertio*. Quia sanctificatio qua aliquid deputatur cultui divino, licet repugnet actibus contrariis, scilicet in honestis et vitiosis, non tamen repugnat actibus honestis in casu necessitatis exercendis, licet sint simpliciter minus boni quam actus religionis, scilicet actus contemplationis: sicut patet quod Episcopi, propter necessitatem communitatis, tenentur intermittere actus contemplationis, ut vacent actibus vitae activæ; et religiosus, in necessitate patris, teneretur inter-

mittere observantias religionis, propter laborem mannum, ad subveniendum patri. Sed actus matrimonii sunt actus honesti, licet non sint ita boni sicut actus religiosorum, simpliciter loquendo; tamen in casu tantaæ necessitatis essent magis boni, et magis necessarii, quam actus religiosorum. Ergo sanctificatio religionis non impedit quin in aliquo casu tantæ necessitatis possit dispensari cum religioso quod matrimonium contrahat. Decretalis autem illa, *De statu monachorum*, cap. (2) *Cum ad monasterium*, non dicit impossibilitatem, sed notat difficultatem; sicut dicitur non posse fieri, quod non sine magna causa potest fieri. — Hæc ille.

VI. Argumentum Henrici. — Ad idem arguit Henricus, quinto *Quodlibeto*, q. 28. Quod, inquit, alii dicunt, quod semel sanctificatum Deo non potest in alios usus mutari, ut dicitur, *Levitici* ultimo, quia non potest fieri ut sanctificatum sanctificationem amittat, ut patet in calice; solemnitas autem voti consistit in quadam consecratione, qua anima Deo sanctificatur; et ideo non potest non esse sanctificata, sicut semel factus sacerdos non potest non esse sacerdos; et sic Papa in voto continentiae dispensare non potest, nisi quando est accidentaliter annexa voto, ut patet in sacro ordine; tunc enim Papa potest dispensare; non autem quando essentia liter est annexa, ut in voto religionis; — hoc, inquam, non valet. Quia sanctificatum non potest mutari in alios usus contrarios, per dispensationem potest tamen mutari in usum magis proficuum, in quo virtute salvat votum; ut si, urgente necessitate, lapides altaris in aliud usum converterentur. Nec est differentia, sive essentialiter, sive accidentaliter sit annexa voto: quia, qualitercumque quis obliget se voto, vel juramento, semper intelligitur excepta auctoritas superioris, ut, *Extra, De jurejurando*, cap. (6) *Venientes*. Sciendum tamen quod in malo quod avertit a fine (ut est peccatum mortale), vel retrahit (ut est veniale), non cadit dispensatio, nec Dei, nec hominis: quia, sicut Deus in se peccare non potest, ita nec creatura se avertere, nec retrahere. Aliud autem est malum, quia est occasio mali (ut est usus divitiarum et temporalium); super quo malo cavendo inducta sunt statuta legis positiva. Quorum quedam sunt immediate a Deo, ut sacramenta, et alia quæ pertinent ad credenda; et in talibus solus Deus dispensat. Alia sunt instituta per hominem; et illa habent dispensationem pro loco et tempore. Et ideo, quia vivere in matrimonio vel extra, habere temporalia vel non, sunt ab institutione humana, nec contrariantur juri divino vel naturali, in talibus dispensare potest, immo debet, cum videt hoc esse bonum reipublicæ. — Hæc ille, in forma.

(a) *adeo quod oportet*. — *quod oportet adeo* Pr.
(6) *cap.* — Om. Pr.

(a) *cap.* — Om. Pr.
(6) *cap.* — Om. Pr.